



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XVIII. De amißione Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

TOM. II.

III.
De specie-
bus, & piâ
affectione
ad fidem
requiritur
dictum est
suprà.

IV.
Habitus
Fidei divi-
na infundi-
tur nonnun-
quam sine
gratiâ ha-
bituali, seu
charitate.

Ostenditur
Fidei habi-
tum infundi
interdum
sine gratiâ
habituali.

Quæres tertio: Quid de speciebus, & piâ affectione sentiendum, quæ non minus ad actum Fidei elicendum necessaria sunt quàm habitus Fidei. Huic quæsito satisfactum est suprà Disputatione decimâ-tertiâ, sectione sextâ, & Disputatione decimâ-quartâ, sect. 3. 4. & 5. nec opus est hic quiddam adjicere.

Quæres quarto: Utrum habitus Fidei aliquando infundatur adulto sine gratiâ habituali, seu charitate? Negat Durandus in 3. Distinctione 13. q. 6. Scotus in 3. Distinctione 36. in fine, Vega & alii. Dicendum nihilominus habitum Fidei divinæ subinde infundi sine gratiâ habituali, seu charitate: ita S. Thomas hic, q. 6. art. 2. ad tertium, & alii quidam ex Theologis. Probat: Fide enim certum est habitum Fidei supernaturalis sæpè manere sine gratiâ & charitate, gratia namque habitualis & charitas per quodcunque peccatum mortale amittuntur, quod tamen non contingit in habitu Fidei, ut Disputatione sequente videbimus. Quando ergo catechumenus primò instituitur circa mysteria Fidei, credit Fide divinâ articulos sibi tunc propositos; actus ergo Fidei supernaturalis, qui tunc liberè, vel per auxilium extrinsecum, vel intrinsecum transiens elicitur potest esse sufficiens dispositio ad habitum Fidei, ejusque infusionem de congruo merendum. Deinde hic catechumenus constanter credit illa mysteria, ergo sicut properterea inferimus habitum Fidei in eo, qui grave aliquod peccatum admisit, etiamnum manere, quòd nimirum constanter adhuc credat articulos

Fidei, idem dici potest de hoc catechumeno. Imò probabilius videtur habitum Fidei interdum infundi ante habitum Spei. Quando autem infunditur habitus Fidei, verisimilius est infundi etiam habitum piæ affectionis ante charitatem.

Dices: Adultus iste est adhuc infidelis. Respondetur, si per infidelem intelligatur is, qui actu non suscepit baptismum, est adhuc infidelis, cum necdum admittus sit in gremium Ecclesiæ: si verò per infidelem intelligat quis eum, qui Fidei mysteria non credit, hic dici hoc sensu nequit infidelis, cum non minus assensu verè supernaturali, Fidei articulos credat, quàm aliquis baptizatus.

Nec obstat quòd Concilium Tridentinum sessione sextâ, capite septimo dicat hominem in justificatione hæc omnia simul infusa accipere, *Fidem, Spem, & Charitatem*: hoc, inquam, non obstat; certum est enim non debere hoc dictum Concilii universim & semper sumi ut sonat: quando namque fidelis quispiam gratiam, quam per peccatum amiserat, recuperat, & justificatur, nec Spei, nec Fidei habitus accipit, utpote quos non amisit, cum hi duo habitus per omne peccatum non tollantur. Aliqui ergo hoc intelligendum existimant de justificatione parvuli: alii asserunt mentem Concilii esse, hæc omnia semper in justificatione esse simul. Tandem, salvo meliori judicio, dici posse videtur, eam esse justificationis naturam, ut hæc omnia homo habeat, imò tunc accipiat, si omnia, vel aliqua ex iis antea non habuerit.

V.
Qua sensu,
hujusmodi
catechume-
nus est ad-
huc infide-
lis.

VI.
Qua ratione
Concilium
Tridentinū
dicat simul
infundi Fi-
dem, Spem,
& Charita-
tem.

Tres hujus
pronuntiat
acceptioes.

DISPUTATIO DECIMA-OCTAVA

De amissione Fidei.

CAUSIS omnibus ad habitus Fidei productionem declaratis, nunc qua ad ejus amissionem, seu destructionem pertinent, sunt explicanda, idq; tum in hac vitâ, tum sequente; utraque enim Fidei amissio peculiarem habet difficultatem. Dum verò habitus Fidei destructionem, ejusque causas declaramus, eadem operâ illius conservationem quantæq; sit durationis ostendimus, & quo pacto hac in re à gratiâ, Charitate, aliisque virtutibus merè ad voluntatem spectantibus differat, utpote qua per omne peccatum grave deperduntur.

SECTIO PRIMA.

Quo modo Fides amittatur in hac vitâ.
Vbi etiam de Fide vivâ & mortuâ.

I.
Fidei habi-
tus, nisi per
peccatum
non amitti-
tur.



D imprimis tanquam certum supponendum, nempe habitum Fidei, nisi per peccatum non amitti; cum enim ex se seu naturè suâ, & ab intrinseco non petat desitionem, sed indifferens sit ad quamcunque durationem,

Deus qui eum infudit, nunquam illum tollit, nisi homo aliquid ponat, quo eum abiciat, vel demereatur.

Quærimus ergo, cum Fides non nisi per peccatum amittatur, utrum amittatur per omne peccatum mortale. Dicendum Fidei habitum, non per quodvis peccatum mortale amitti. Hæc Conclusio est de Fide, & à Concilio Tridentino contra nostri temporis sectarios Sess. 6. can. 28. definita. Probat in primis ex illo Jacobi secundo, vers. 14. *Quid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* & vers. 20.

II.
Habitus Fi-
dei non a-
mittitur per
quodvis pec-
catum mor-
tale.

vers. 20. Fides sine operibus mortua est: ubi, quicquid dicant sectarii, aperte supponit Apostolus, Fidem posse sine charitate perflittere. David etiam duo gravissima peccata commisit, adulterii scilicet & homicidii, Fidem nihilominus non amittit. Hinc S. Augustinus libro primo de Trin. cap. 18. ait Fidem sine Charitate esse posse: non prodesse. Quod etiam alibi frequenter docet; multique in eadem veritate tradenda sunt Sancti Patres.

Fidem sine Charitate manere docent Patres.

III.

Omne peccatum, Fidei in sua ratione formalis non opponitur.

Ratio assertionis est: Omne namque peccatum rationem formalem objecti Fidei non destruit, nec ei in conceptu suo formali opponitur, ut per se videtur manifestum; quid enim vetat, ut quis homicidium, furtum, aut fornicationem committat, & tamen Deo objectum aliquod revelanti credat, hæc namque objecta formalia planè disparatè se habent, nec unum alteri illo modo est contrarium. Hinc fit, ut possit homo Deo credere, nec ullà ratione velle Fidem negare, quantumvis alia peccata, etiam gravia admittat, & in vitâ ac moribus Deum offendat. Sicut autem hæc peccata actibus Fidei non opponuntur, ita nec opponuntur habitui.

IV.

Obicitur: habitus Fidei est proprietas gratiæ, ergo destructa gratiâ destruitur.

Dices: Gratiâ habitualis, ut communis & certa habet Theologorum sententia, per omne peccatum mortale destruitur, ergo & habitus Fidei, utpote qui à gratiâ pendet sicut passio, seu proprietas à formâ: ac proinde gratiâ sublata tollatur etiam habitus Fidei necesse est, sicut, ubi amittitur gratiâ, virtutes omnes morales infusæ unâ cum eâ interdicuntur. Confirmatur ex illo I. ad Timoth. c. 1. v. 19. Bonam conscientiam quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt.

V.

Fides ad gratiam comparatur ut fundum ædificium.

Ad argumentum dico, habitum Fidei non comparari ad gratiam tanquam proprietatem ab eâ dimanantem, sicut comparatur Charitas, & virtutes morales infusæ, sed, ut optimè advertit Suarez comparatur habitus Fidei ad gratiam ut fundamentum ad ædificium, quod destructo ædificio potest etiamnum persistere.

VI.

Declaratur mens Apostoli.

Primum habitum nostrum temporis consuevit.

Ad Confirmationem respondetur, non velle per illa verba Apostolum, omne peccatum contra conscientiam destruere Fidem formaliter, sed solum dispositivè, quatenus nimirum per varia peccata minuitur affectus erga Deum, & hoc modo mens paulatim disponitur ad incidendum in hæresim, & ut quis liberius fruatur voluptatibus, ad Fidem si res ita ferat negandam. Hoc in more hodie videmus nostrî temporis hæreticis, qui cum adolescentem catholicis præceptis imbutum pervertere volunt, & ad suas partes pertrahere, non ab intellectu ejus incipiunt, sed à voluntate: vitium ergo eum primò ac voluptatibus implicat, fœdisque carnis illecebris & oblectamentis irretiunt, quibus penitus immerfus, ita occæcatur paulatim, ut & sui & Dei obliviscatur, & hoc pacto aptus tandem redditur qui ad hæreticorum castra se transferat: atque ita his magistris ab innocente in scelestum, ab homine in belluam, à belluâ in hæreticum transit.

VII.

Cur ob omne peccatum mortale non tollat Deus habitum Fidei.

Dices secundò: Ea est gravitas peccati mortalis, utpote quod est malitiæ quodammodo infinitæ, ut omnium omnino Dei donorum privationem mereatur, ergo & habitus supernaturalis Fidei: alioqui per nullum mortale peccatum tolleretur. Respondetur, Deum, si quod peccato mortali in rigore debetur facere vellet, posse etiam habitu Fidei peccatum hoc admittentem jure meritissimo orbare, sicut similiter ob justam in eum indignationem posset illum naturali etiam

vitâ privare, & statim deturbare ad infernum, sed cum iratus est, misericordiæ recordatur; vitam hanc relinquit, ut alteram, vitam scilicet gratiæ, recuperet, cujus recuperandæ, quamdiu vivit, Spem habet, ideoque Deus habitum fidei ex suâ benignitate & misericordiâ in eo relinquit, utpote qui Spei & justificationis est maximè conaturalis radix & fundamentum. Aliqua tamen peccata talis naturæ sunt, ut ob ea habitus fidei tollatur, uti postea dicitur.

Quare in peccatore remaneat habitus Fidei.

Quoad secundum, de Fide scilicet vivâ & mortuâ, formatâ & informi, communis est hæc Theologorum Fidei divisio, desumpta ex Sancto Augustino libro de cognitione veræ vitæ, cap. 32. eamque tradit Divus Thomas 2. 2. q. 4. art. 3. 4. & 6. quem Thomista & alii sequuntur. Eadem Fidei divisio habetur in Sancto Bernardo sermone secundo de resurrectione.

VIII.

De Fide vivâ & mortuâ, formatâ & informi.

Fides ergo viva, seu formata illa est, quam in animâ vel Angelo gratiâ, quæ vita est animæ, & charitas comitatur; Fides verò in animâ sine gratiâ & charitate est informis & mortua: quo sensu dixit S. Jacobus, cap. 2. vers. 20. Fides sine operibus mortua est. Fides ergo destructâ gratiâ non destruitur, ut volunt sectarii, sed solum vitâ illâ, splendore, & ornâtû orbat, quæ ipsi ex gratiâ concomitantia accedebant. Quoad autem Fides maneat aliquando sine gratiâ & charitate, seu operibus, testatur idem Apostolus capite illo secundo citato, versu 17. ubi sic habet: Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsâ: ergo manet juxta Apostolum, quamvis sit mortua, seu non habeat opera. Sicut actus eleemosynæ ab homine in gratiâ existente factus, est opus vivum, in homine sine gratiâ mortuum, sicque idem opus successivè est vivum & mortuum: idem ergo contingere potest in habitu Fidei.

IX.

Declaratur quid sit Fides viva & mortua.

Ostenditur eandem Fidei habitum posse successivè esse vivum & mortuum.

Dices: Juxta S. Jacobum loco citato: Fides sine operibus mortua est, ergo unâ cum gratiâ destruitur, sicut enim homo mortuus non est homo, ita Fides mortua non est Fides. Confirmatur: nam S. Gregorius homil. 26. in Evangelia sic habet: Vera Fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit: ergo juxta S. Gregorium post commissum peccatum, & amissam per illud gratiam & charitatem, non manet vera fides, ergo nec Fides; sicut enim, inquit, quod non est verum ens, non est ens; ita quod non est vera Fides, non est Fides.

X.

Objicitur: Fides mortua non est magis Fides, quam homo mortuus est homo.

Ad solutionem notandum, duobus modis sermonem hic esse posse de verâ Fide, vel quoad essentiam, vel quoad statum, seu in esse substantiæ, & virtutis. Loquendo itaque de Fide quoad essentiam seu substantiam, Fides informis seu mortua, hoc est, quæ in animâ existit sine gratiâ & charitate, est vera Fides, habet namque veram rationem & conceptum Fidei; conceptus quippe verus & essentialis Fidei in eo situs est, ut rebus revelatis assentiatur propter auctoritatem divinam, ad hoc autem præstandum nec actus Fidei formaliter, nec habitus efficienter eget gratiâ, vel charitate, cum conceptus ille sit ab istis diversissimus. Si verò sermo sit de Fide quoad statum, seu in esse virtutis, hoc est, secundum diversum statum subjeçti, cum gratiâ scilicet & charitate, vel sine illis existentis habitus Fidei, quamvis quoad essentiam sit vera Fides, ut dixi, non tamen est vera virtus Fidei simpliciter, cum juxta Sanctum Thomam 2. 2. quæst. 6. art. 2. & dictum ab omnibus Theologis acceptum, charitas sit forma virtutum.

XI.

Duplex Fidei acceptio: quoad essentiam, & quoad statum.

An Fides sine Charitate sit vera Fides in esse virtutis.

Hinc

Tom. II.

XII. *Ostenditur dari veram fidem quoad substantiam sine gratia, non tamen quoad statum.*

Explicatio dicti S. Gregorii n. 10. resus.

Hinc ergo constat ad objectionem: quando enim Sanctus Jacobus dicit Fidem sine operibus esse mortuam, non loquitur de Fide quoad substantiam, seu essentiam, sed in esse virtutis, cum in peccatore careat illo splendore & vita ei à gratiâ & charitate extrinsecus communicatâ, nec quidquam fructuosum in ordine ad vitam æternam operatur. Atque ex hoc constat differentia inter Fidem mortuam & hominem mortuum, vita enim hominis est ipsi intrinseca, & cum eo identificata, ipsaque ejus essentia, per quam denominatur vivens, consistit quo realiter in materiâ, formâ, & unione, quarum ullâ sublâtâ, entitas hominis destruitur: vita verò Fidei est illi extrinseca. Eodem modo respondetur ad pronuntiatum illud Divi Gregorii, Fidem scilicet sine gratiâ & operibus esse veram in esse substantiâ, seu essentia juxta jam dicta, non quoad statum, & in esse virtutis, ut fusè declaratum est. Atque hæc doctrina apertè tradita est in Concilio Tridentino Sess. 6. can. 28.

vertunt aliqui, hæretici, contra quos canones illi sunt facti præsertim vigesimus octavus, non negabant Fidem per infidelitatem amitti, unde non erat opus ut Concilium quidquam hac in re contra eos illic definiret, maxime cum antea in capite illo 15. hoc expressè tradidisset. Quia tamen Concilium capite illo decimo quinto citato, non directè, sed quasi per parenthesis hoc dixit, Fidem scilicet per infidelitatem amitti, putant nonnulli id non esse de Fide; aiunt tamen omnes, cum Concilium absolutè hoc affirmet, non posse sine errore negari.

Capitulum 15. Canones Conc. Tridentini ejusdem sensus auctoritate.

Nec ad hanc veritatem stabilendam desunt testimonia ex sacris literis desumpta. S. Paulus itaque 1. ad Timotheum cap. 1. in fine dicit hæreticos naufragium circa Fidem fecisse, id est, ut loquitur S. Chryostomus homilia quinta in eam Epistolam, ab Ecclesiâ & Fide exciderunt: sicut enim, inquit Sanctus hic Doctor, qui naufragium fecit, rebus omnibus amissis nudus evadit, ita qui ex Ecclesiâ nave per infidelitatem excidit, interna Dei dona omnia, & virtutes amittit: loquitur autem hoc loco Apostolus de Hymenæo & Alexandro, qui tamen non omnes Fidei articulos, sed tantum resurrectionem negabant, ut postea S. Paulus declarat, & tamen eò quòd hunc unum articulum obstinatè negabant, eos dicit fidei naufragium fecisse. Unde idem Apostolus in eadem Epistolâ, cap. 6. num. 4. de hæretico loquens: *Superbus est*, inquit, *nihil sciens*, hoc est, ut rectè explicat Suarez, nihil certò & firmiter credens.

IV. Scriptura testimonio probatur Fidem infusam amitti per infidelitatem.

SECTIO SECUNDA.

Utrum per omne peccatum hæresis, vel infidelitatis tollatur habitus Fidei.

I. *Si actus hæresis vel infidelitatis tollat habitum Fidei, debet esse deliberatus.*

DIXI peccatum, si enim actus hæresis, seu infidelitatis sit planè indeliberatus, non est cur per eum tollatur habitus Fidei, cum nullum vel in Scripturâ, vel Conciliis, vel Patribus sit hujus rei fundamentum. Idem à fortiori dicendum de eo, qui omnino invincibiliter dissentit alicui articulo Fidei, planè scilicet ignorans objectum illud esse à Deo revelatum; hunc enim, opinor, nullus dicit amittere Fidem infusam, cum illum ipsum articulum etiamnum credat implicitè, quatenus nimirum explicitè credit omnia vera esse, quæ ab Ecclesiâ dicuntur esse à Deo revelata. Certum denique est eum, qui uni Fidei articulo dissentit, non statim amittere habitum Fidei acquisitæ circa alios articulos. Quæstio itaque procedit de solo habitu Fidei infusa.

Hanc etiam doctrinam unanimi consensu tradunt Sancti Patres, inter quos Sanctus Augustinus eam apertissime variis locis docet, ut libro primo contra Epistolam Parmeniani, capite 7. item de Fide & Symbolo, capite decimo: capite etiam quinto Enchyridii, & alibi. Hoc ipsum clarè affirmant alii Patres, qui passim docent eos, qui in hæresim inciderunt, non esse verè, sed solo nomine Christianos, ergo juxta illos habitus Fidei infusus per actum hæresis, seu infidelitatis amittitur; si enim illum retinerent, non nomine tantum, sed re essent Christiani.

V. Docent Sancti Patres per unum alium hæresis tolli fidem infusam.

II. *In hæretico extra unum Fidei articulum non manet Fides infusa circa reliquos.*

Conclusio: Quisquis per peccatum mortale hæresis (per hæresim intelligi etiam infidelitatem) uni Fidei articulo dissentit, statim habitum Fidei infusæ circa omnes Fidei articulos amittit: ita Divus Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. estque communis Theologorum sententia, ut non sit opus auctores referre, cum unus inventus sit Durandus, qui hoc negaverit, cujus opinionem secuta est Glossa Cap. *Firmiter* de summâ Trinitate. Dicit ergo Durandus in 3. Dist. 23. quæst. 9. etsi quis uni vel alteri Fidei articulo deliberatè dissentiat, si tamen assensum aliquibus præbeat, habitum Fidei infusæ eum non amittere.

SECTIO TERTIA.

Sitne inter actum hæresis & habitum infusum Fidei repugnantia physica.

III. *Ex Concilio Tridentino ostenditur Fidem infusam per actum hæresis amitti.*

Præbatur tamen conclusio primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 15. ubi sic habetur: *Afferendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa Fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Nec refert quòd Concilium in Canonibus hoc totum non repetierit, nec dixerit in iis denuo Fidem per infidelitatem amitti, sed tantum afferuerit Fidem per omnia peccata non amitti; hoc, inquam, non obstat, doctrina enim capitum non minus est de Fide, quam doctrina canonum. Deinde, ut benè ad-

QUÆRES, Quomodo cum habitu Fidei infusæ pugnet actus hæresis, seu infidelitatis, physicè, seu ex naturâ rei, an moraliter solum, ac demeritoriè, & ex ordinatione divinâ? Communis est Thomistarum opinio, actum hæresis physicè pugnare cum hoc habitu infuso; quod etiam docet Vasquez 1. 2. Disp. 9. cap. 4. quem sequitur Torrez, & alii.

I. An actus hæresis physice, an solum moraliter tollat habitum infusum Fidei.

Dicendum tamen, hanc inter actum hæresis & habitum Fidei infusæ pugnam non esse physicam, sed moralem tantum, & hunc ab illo destrui solummodo demeritoriè: ita Suarez tom. tertio de Gratiâ, libro 11. cap. 7. & hic, Disp. 17. Sect. 2. num. 4. Coninck Disp. 17. d. 3. & Disp. 18. dub. 4. & alii.

II. Actus hæresis non pugnat physice cum habitu infuso Fidei.

Ratio Conclusionis est: Actus enim infidelitatis vel hæresis nihil physicum habet cum habitu Fidei infusæ impossibile; habitus siquidem infusi,

III. Ratio à priori cur non infusi,

pugnant
physicè actus
hæresis, &
Fides infusa.

Stat poten-
tia aliquid
credendi,
cum errore
contrario.

IV.
Sequeretur
peccatum
etiam veni-
ale hæresis
tollere habi-
tum Fidei
infusa.

V.
Objic. Se-
quitur per
odium Dei
amitti ha-
bitum Fidei.

Resp. Odium
Dei mereri
majorem
penam ef-
fentialem,
non acci-
dentalem.

VI.
Facilitas ad
alios arti-
culos cre-
dendos pro-
venit ab
habitu Fi-
dei acqui-
sita.

infusi, ut ex communi Theologorum mente fa-
pè dictum est, dant simpliciter posse, reddunt-
que subjectum in quo sunt, in actu primo potens
ad actus supernaturales circa materiam, quam
quisque diversam respicit, eliciendos, nempe
habitus charitatis ad actus amoris, habitus Spei
ad actus supernaturales Spei, habitus Fidei ad arti-
culos Fidei propter auctoritatem divinam su-
pernaturaliter credendos, & sic de cæteris: sed
potentia ad credendum aliquid supernaturaliter,
rectè componi potest cum actuali errore con-
trario; quantumvis enim neget quis Deum esse
Trinum & Unum, potest nihilominus hoc my-
sterium credere. Sic in naturalibus potentia in-
tellectiva ad actum scientiæ, & volitiva ad actum
amoris circa aliquod objectum, optimè stant
cum errore actuali, & odio illius objecti, ut
quotidianè constat experimentiâ.

Confirmatur: Si enim ob oppositionem phy-
sicam peccatum hæresis tollat habitum Fidei in-
fusa, sequeretur per peccatum etiam veniale hæ-
resis aut infidelitatis amitti hunc habitum, cum
non minus ei physicè opponatur peccatum veni-
ale hæresis, quàm mortale. Sequela autem
nullâ ratione admitti potest, sublato namque ha-
bitu infuso Fidei tolleretur gratia & charitas, ut
pote quæ in viâ nunquam reperiuntur sine habi-
tu supernaturali Fidei; per nullum autem pec-
catum veniale tollitur gratia, ut apud omnes est
in confesso. Solum ergo tollitur habitus infusus
Fidei per peccatum mortale hæresis, Deo cum
in peccati hujus poenam subrahente.

Dices: Si actus hæresis cum habitu Fidei in-
fusa pugnet moraliter tantum, seu demeritoriè,
sequitur contra dicta Sectione precedente, non
per hæresim solummodo aut infidelitatem, sed
per alia etiam peccata, puta odium Dei &c. amitti
habitum Fidei, hoc siquidem peccatum in ratio-
ne demeritorii superat peccatum hæresis. Res-
pondetur poenam duplicem esse, essentialem,
& accidentalem: argumentum itaque rectè pro-
bat odium Dei mereri majorem poenam essen-
tialem, seu gravius puniri in inferno, poenam
tamen hanc accidentalem, ablationem scilicet ha-
bitus Fidei infusa peculiari modo meretur hæ-
resis & infidelitas, poenâ peccato respondente.
Sic è contrario laureolæ, ut passim docent Theo-
logi, non propter amorem Dei, seu actum cha-
ritatis, & maxima etiam merita, sed ob parti-
culare genus operum meritoriorum, Martyrii scilicet,
Virginitalis &c. beatis à Deo conferuntur.

Dices secundò: Postquam quis unum vel al-
terum Fidei articulum per actum hæresis negavit,
eandem facilitatem retinet credendi alios articu-
los, ergo signum est illum eundem quem antea
habuit Fidei infusa habitum retinere. Sed con-
tra; hinc namque sequeretur, etiamsi quis, non
uni tantum vel alteri Fidei articulo dissentiat per
peccata mortalia hæresis, sed licet plurimos ne-
get, adhuc non amissum iri Fidem, seu habitum
illum infusum, cum etiamnum circa articulos,
quos non negavit, sentiat facilitatem in credendo.
Respondetur itaque hanc facilitatem provenire
ab habitu acquisito, ab actibus naturalibus Fidei,
qui unâ semper cum supernaturalibus eliciuntur,
vel ab ipsis etiam actibus Fidei supernaturalibus
producto, ut dixi Disp. 31. de Animâ, Sectione
secundâ, numero quarto: ad hoc verò insuper
concurrunt species, tum rerum ipsarum, quæ
sæpius jam sunt creditæ, tum motorum credi-
bilitatis.

Dices tertio: Physicè repugnat ut quis simul
sit fidelis & infidelis, sed per actum hæresis con-
stituitur quis infidelis, per habitum infusum Fi-
dei fidelis, ergo inter hæc duo datur physica re-
pugnancia. Respondetur non obstare physicè
quò minus quis sit fidelis sub unâ ratione, &
quatenus nimirum per habitum Fidei infusa est aptus
ad articulos Fidei credendos; & infidelis, quan-
tenus actu articulum aliquem Fidei obstinatè ne-
gat: quemadmodum & castus quis esse potest per
castitatem infusam, quam post varia admissa lux-
uriæ peccata, in justificatione accipit per bap-
tismum vel poenitentiam, & tamen esse luxuriosus
per habitum luxuriæ antea contractum.

Dices quartò: Potest aliquis Fide acquisitâ
non credere unum & nihilominus credere aliud,
unum tamen vel alterum hoc modo non creden-
do, non destruitur totus habitus Fidei humanæ,
ergo nec divinæ, seu infusa. Negatur tamen
consequentia, disparitas est; Fides enim humana
& acquisita est divisibilis, Fides autem infusa sim-
plex qualitas, & indivisibilis. Deinde objectio
illa potius probaret actum hæresis & habitum Fi-
dei infusa non opponi inter se physicè, sed tan-
tum moraliter, modo jam declarato.

SECTIO QUARTA.

Utrum obstinatè dissentiens uni arti-
culo Fidei, credere possit
alios.

HACTENTIS de Fidei habitualis amissione
dictum est, nunc aliquid subjungendum de
amissione, vel impeditioe actualis. Quærimus
itaque, an qui deliberatè, & pertinaciter ali-
quem Fidei articulum debite sibi propositum cre-
dere renuit, & obfirmato in contrarium animo
persistit, possit Fide divinâ credere reliquos.
Dixi deliberatè & pertinaciter, ac sciens eum esse
articulum Fidei; si enim quis ei dissentiat existi-
mans invincibiliter non esse articulum Fidei,
quamvis circa hunc particularem articulum, cui
etiam invincibiliter discredat, habere verum
actum Fidei, etiam naturalem non possit, cum
eidem objecto assentire simul & dissentire ne-
queat, non tamen est, quò minus credere, actu
etiam supernaturali possit reliquos, qui sufficien-
ter proponuntur.

Quæres, Utrum si quis non invincibiliter, sed
ignorantiâ culpabili etiam mortaliter, ignoret
aliquid esse articulum Fidei, eo quòd habens
suspicionem illud esse revelatum, negligit ulte-
rius circa ejus revelationem inquirere; quæres,
inquam, Utrum obstinatè dissentiens huic Fidei
articulo, possit nihilominus credere alios. Mihi
probabilius videtur, in hoc nullam esse repug-
nantiam; hic enim, quantumvis peccare, etiam
graviter queat, circa rem hanc non inquirendo,
cum tamen re ipsa articulus ille non sit sufficienter
propositus, non est cur per illum dissentium ma-
terialem, vel habitus Fidei ab eo tollatur, vel
Fides actualis circa alios articulos impediatur,
voluntas quippe ad actum Fidei requisita etiam-
num manet, voluntas scilicet credendi Deo ali-
quid revelanti, Deum autem hic & nunc istud re-
velare ignorat, quamvis id ignoret peccaminosè.

Sermo itaque in præfenti est de negatione arti-
culi Fidei formaliter, seu de dissentiu scienter
habito

VII.
Nil impedit
quò minus
quis sit fide-
lis sub unâ
ratione, &
infidelis sub
aliâ.

VIII.
Alius est de
Fide huma-
nâ & acqui-
sita, aliud de
divinâ &
infusa.

I.
Difficultatis
proposita de-
claratio.

Quid de illo,
qui invinci-
biliter igno-
rat illum
esse articu-
lum Fidei.

II.
Utrum igno-
rantiâ cul-
pabilis unius
articuli im-
pediat Fi-
dem actuali-
tem circa
reliquos.

III.

Tom. II.
Tres de actum
hæresis circa
unum arti-
culum, &
Fidei circa
alios dicendi
modi.

habito ab articulo Fidei cognito ut tali. Tres
hac in parte sunt dicendi modi: primus est quo-
rundam recentiorum, qui hoc non ad physicam
ullam, sed morale tantum repugnantiam re-
ducunt. Dicunt itaque eum, qui obstinatè dif-
fentit uni Fidei articulo, posse quantum est ex se,
& ex naturâ rei credere alios articulos; Deus ta-
men, inquit, statuit auxilium gratiæ ad actum
supernaturalem Fidei ei nunquam conferre, sic-
que negans pertinaciter unum, credere nequit
reliquos. Suarez verò hic, Disp. 7. Sect. 4.
Lorca Disp. 33. Valentia hic, quaest. 5. punct. 3.
Coninck Disp. 18. dub. 4. & alii affirmant eum,
qui pertinaciter unum Fidei articulum negat,
non posse actum supernaturalem Fidei circa alios
elicere, idque ob repugnantiam physicam; aiunt
namque per actum hæresis vel infidelitatis tolli
objectum formale Fidei, auctoritatem scilicet
divinam per quamcunque regulam seu organum
traditam; qui enim, inquit, Deo per unum
organum loquenti credere recusat, non potest
ei credere loquenti per aliud. Tertio Duran-
dus in 3. Dist. 23. q. 9. num. 8. asserit, quan-
tumvis quis unum Fidei articulum, cognitum ut
talem neget, posse eum nihilominus, etiam de
lege ordinariâ credere reliquos, non physicè tan-
tum, sed moraliter, cum hi actus objecta ha-
beant planè diversa.

IV.
Quibusdam
actibus hæ-
resis tollitur
objectum
formale Fi-
dei.

IV. Prima Conclusio: Si quis ita articulum ali-
quem à Deo revelatum neget, ut existimet Deum
falsum dicere, & fallere posse aut falli, nullum
alium articulum credere potest Fidei divinâ. Ra-
tio est clara: hujusmodi quippe actus hæresis tol-
lit objectum formale Fidei, veracitatem scilicet
divinam, seu summam ejus in dicendo infallibi-
litatem, unde quicquid deinceps ob Dei dictio-
nem ac revelationem credit, non actu certo &
infallibili, qualis, ut supra ostendimus, esse de-
bet actus Fidei divinæ, sed incerto & fallibili cre-
dit; talis siquidem est actus, quale est objectum
formale cui innititur, hoc autem ipsi est incer-
tum & fallibile, cum Deum putet non esse in di-
cendo infallibilem, sed fallere posse & falli.

V.
Negans unum
articulum,
credere ne-
quit alium
eodem modo
revelatum.

V. Secunda Conclusio: Si quis Deo, vel per
privatam revelationem aliquid ei dicente, vel
per certum organum, puta Ecclesiam, loquen-
te, & articulum aliquem manifestante, articu-
lum illum negat, nullum alium articulum eodem
modo revelatum ac propositum credere potest
Fidei divinâ, idque non moraliter tantum, ut vo-
lebat prima sententia supra, numero tertio relata,
sed neque physicè. Probatur Conclusio: cum
enim in his omnibus eadem sit ratio credendi,
auctoritas scilicet divina eodem modo proposita,
si unum articulum neget, signum est eum alios
non ob auctoritatem Dei, sed aliâ de causâ, &
ex animi levitate credere, sicque non habere ve-
rum actum Fidei Theologicæ.

VI.
Unum sic
propositum
credere, &
non credere
aliud, esset
virtualis
contradictio.

VI. Confirmatur: Implicare siquidem videtur ut
quis unum articulum credat quia ab Ecclesiâ no-
mine Dei infallibiliter credendus proponitur,
alium verò quem novit eodem modo proposi-
tum rejicere; esset namque eodem modo proposi-
tum contradictio, ac proinde nullum credere potest,
sic enim crederet aliquid esse verum quia Eccle-
sia id auctoritate divinâ docet, simulque crede-
ret aliud esse falsum, quod certo scit ab Ecclesiâ
eodem modo, & divinâ auctoritate proponi;
hac autem ratione existimaret Ecclesiam in pro-
ponendo Fidei articulos esse fallibilem & infalli-
bilem; & idem est de privatâ revelatione respe-

ctu alterius privatæ revelationis. Ob quam cau-
sam conclusione præcedente, numero quarto
dixi eum, qui unum Fidei articulum negat quia
existimat Deum in eo falsum dicere, posseque
fallere & falli, nullum alium credere Fidei divinâ,
imò ad hoc reddi impotentem.

Nec dicas posse aliquem existimare Ecclesiam
in hoc vel illo articulo proponendo à Deo regi,
& peculiarem habere assistentiam, ac proinde
esse illius organum, non tamen in omnibus: hoc,
inquam, dici nequit, eadem enim ubique sunt
indicia infallibilitatis Ecclesiæ in proponendo,
sicque si in uno articulo proponendo non habet
judicio ipsius infallibilitatem, nullo fundamento
judicabit eam esse infallibilem in proponendis
aliis, adeoque illius Fides non esset prudens, sed
levis & vana, & consequenter non supernatura-
lis. Ex quo infero, eum, qui unum Fidei arti-
culum ab Ecclesiâ propositum negat, non posse,
etiam physicè, ullum omnino articulum Fidei
Catholicæ credere, perinde enim est articulus
Catholicæ Fidei & articulus ab Ecclesiâ, quæ
unica jam regula est universalis seu Catholicæ Fi-
dei ad credendum propositus.

VII.
Nullo fun-
damento
diceret qui
Ecclesiam
in uno esse
infallibilem,
non in aliis.

Levis &
vana fides
non potest
esse super-
naturalis.

Tertia Conclusio: Si tamen articuli aliqui à
diversis adæquatè organis, ut olim apud Judæos
erant Moyses & Christus, proponantur, nil ob-
stare videtur, quo minus possit quis unum arti-
culum credere, negans alium. Ratio Conclu-
sionis est; nulla enim in hoc est repugnantia aut
contradictio vel formalis vel virtualis, si enim
esset, maximè quia negatio unius ex illis articulis
tolleret objectum formale alterius, hoc autem
non sequitur, quantumvis namque Judæus neget
Christum, credere nihilominus potest Deum
creasse mundum, objectum quippe adæquatam
hujus actus Fidei est veracitas seu auctoritas divi-
na huic rei applicata per revelationem factam
Moysi, & per hujus sanctitatem ac miracula,
aliæque motiva credibilitatis Judæo à Moysè pro-
posita, ex hoc autem objecto, ut constat, ni-
hil in Judæo tollitur negando Christum, credere
enim etiamnum potest Deum esse in dicendo in-
fallibilem, & creationem mundi esse Moysi à Deo
revelatam, & à Moysè propositam. Credere
ergo potuisset Judæus dictis Moysi, quamvis non
crederet dictis Christi; uni autem dicto Moysi
assentiri Fidei divinâ non potuisset, si aliud ab eo
dictum negasset, ob rationes supra pro secundâ
Conclusione allatas.

VIII.
Quid sen-
tendum
quando duo
articuli
proponuntur
per diversa
organa ad-
æquata.

Crederet Moys,
si poterat
Judæus ne-
gare Chris-
tum.

Unum arti-
culum à
Moysè pro-
positum ne-
gans non
potuisset
credere
alios.

SECTIO QUINTA.

Solvuntur quædam difficultates contra
dicta circa impedimentum Fidei
actualis per actum hæresis.

OBICIT primò Durandus, nullam in eo
apparere repugnantiam, ut quis, etsi unum
Fidei articulum neget, credat alium, etiam ab
eodem organo propositum; nec enim est repug-
nantia physica, cum illi duo actus tendant in di-
versa objecta, & planè disparata; neque etiam
est repugnantia moralis, seu ex decreto & ordi-
natione Dei statuentis non dare auxilium, seu
concursum supernaturalem ad alium articulum
credendum ei qui negavit unum, nullibi enim de
tali decreto constat, imò contrarium potius ex
Scripturâ & Patribus, ipsique etiam experientiâ
constare

I.
Obicitur,
Nullam in
hoc esse re-
pugnantiam,
nec physice,
nec morale.

Resp. Hanc
repugnanti-
am non
esse mora-
lem, sed
physicam.

constare videtur. Respondetur fatendo hanc repugnanti-
am non esse moralem illam sectione præcedente,
numero tertio à recentioribus statutam, sed physicam,
quòd nimirum dum quis alicui articulo dissentit,
tollatur partiale objectum formale quando est de eodem organo,
juxta dicta supra, Sectione præcedente, numero quinto,
sexto, & septimo.

II. Objic. Apo-
stoli in tri-
duo mortis
Christi fide-
m amississe,
qui tamen
creabant
creationem
mundi.

Objicies secundò: Apostoli aliique in triduo
mortis Christi, Fidem Christi videntur amississe:
unde Luca 24. vers. 11. dicitur: *Visa sunt ante il-
los sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt
illis.* Quare nonnulli autumant Ecclesiam illo
tempore in solâ Virgine mansisse: ex quo origi-
nem duxisse existimat Turcremata illam Eccle-
siae: ceteram candelas omnes præter unam in
illius tridui officio extinguendi, quòd nimirum
cæteris Ecclesiae luminibus extinctis, Virgo sola
lucem Christi que Fidem retinuerit. Quam etiam
ob causam asserunt aliqui diem Sabbati illi esse
peculiariter dicatum. Jam verò non est verisimile
amississe Apostolos Fidem circa creationem
mundi, & alia hujusmodi, ac proinde unus fidei
articulus credi potest sine alio.

Cur dies
Sabbati sit
peculiariter
Virgini di-
catus.

III. Apostoli in
triduo Chri-
sti fidem non
amiserunt.

Inprimis quoad hanc objectionem P. Suarez
hic, Disp. 9. Sect. 3. num. 8. negat Apostolos
in illo triduo Christi Fidem amississe; quamvis
de illius resurrectione dubitaverint, utpote quæ
non satis ipsis videtur fuisse etiamnum perspecta,
juxta illud Joannis 20. vers. 9. ubi de se & Petro,
qui ad sepulchrum cucurrerant, dicit: *Nondum
enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mor-
tuis resurgere,* dubitabant siquidem utrum Chri-
stus propriè an enigmatice fuisset hac de re lo-
cutus. Quamvis insuper Petrus in Fidei confes-
sione defecerit, nihil tamen Fidei contrarium cre-
didit, nec dubitavit an Christus esset verus Deus:
quod etiam S. Chrysostomus, S. Augustinus,
Sanctus Ambrosius, & alii ex Patribus affirmant,
communisque habet scholasticorum sententia
cum Magistro in 3. dist. 24. Quod similiter de
Sancto Joanne, & Sancto Jacobo, qui teste San-
cto Hieronymo de viris illustribus, à morte Chri-
sti usque ad illius resurrectionem jejunavit, vi-
detur omnino dicendum. De aliis etiam proba-
bilius videtur, eos non de Christi divinitate
in illo triduo, sed solum de resurrectione dubi-
tasse. Ex quo à fortiori sequitur eos non per-
didisse Fidem de creatione mundi, & aliis hu-
jusmodi.

IV. Creationem
mundi po-
tuerunt Apo-
stoli credere
propter te-
stimonium
Moyse.

Secundò dici potest hanc objectionem solum
probare id quod in fine Sectionis præcedentis,
Conclusionem tertiam diximus de duobus organis
adæquatis. Unde etiam si supponamus Apo-
stolos Fidem de Christi divinitate amississe, crea-
tionem tamen mundi credere Fide divinâ potuis-
sent propter testimonium Moyse, sicut illam, &

id genus alia credebant tunc temporis Judæi, &
peculiariter Regi Agrippæ act. 26. vers. 27. di-
cit S. Paulus: *Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio
quia credis.* Aliud est de eodem organo, ut Se-
ctione præcedente ostensum est Conclusionem se-
cundâ, ubi diximus non posse quemquam unum
articulum negare, & alium ab illo ipso organo
propositum credere.

Dices: Quisquis unum articulum credit, pa-
ratus esse animo debet ad credendum omnes suf-
ficienter propositos, ergo &c. Distinguo ante-
cedens, si per idem organum proponantur, con-
cedo antecedens, si per diversum, nego: jam
enim non eodem modo proponuntur, sicque ni-
mirum si unus credatur, non alius, juxta dicta
loco proximè citato, circumstantia namque sunt
diversæ, unde de hoc & illo articulo non est ea-
dem ratio, nec uterque necessariò est vel cre-
dendus, vel negandus. Adde, quamvis qui pru-
denter judicat articulum ab uno organo propo-
situm esse dignum qui credatur, non possit non
judicare idem de altero eadem probabilitate pro-
posito, quamvis à diverso organo proponatur,
non tamen necessariò illum credit; aliud quippe
est judicare articulum aliquem esse credibilem,
aliud illum credere: sicut potest quis sibi per-
suadere, & judicare prudenter sobrietatem esse
bonam & honestam, & nihilominus ex corrupto
affectu inebriari.

Objicies tertio: Ex dictis sequitur peccatum
etiam veniale infidelitatis vel hæresis, actum scilicet
quodammodo indeliberatum pugnare cum
actu Fidei; idem quippe est utriusque objectum,
actus scilicet deliberati hæresis & hoc modo in-
deliberati, hi siquidem non habent objectum di-
versum, sed in eo solum differunt, quòd unus
cum plenâ advertentiâ eliciatur, alter tantum
cum semiplenâ. Respondetur, nihil in eo esse
incommodi, ut peccatum veniale hæresis impe-
diat exercitium actus Fidei circa idem objectum,
cum, ut supra diximus, actus planè indelibera-
tus, & qui ne quidem veniale peccatum est, hoc
præstet, circa idem quippe objectum affirmatio
& negatio, assensus & dissensus simul dari ne-
queunt. Quod etiam affirmare omnes debent
de actu veniali semideliberato, quo quis affirma-
ret Deum fallere posse aut falli, hoc enim actu
stante, nullum omnino actum Fidei elicere is po-
test, nec Deo quidquam dicenti, assensum fir-
mum & infallibilem præbere. Aliud est de amif-
sione habitus Fidei per peccatum veniale hæresis,
ut dictum est Sectione tertiam, numero quarto.

Objicies quarto: S. Augustinus libro de Bap-
tismo, cap. 3. ait Judæum ad Fidem conversum,
non amittere, sed etiamnum retinere Fidem,
quam antea habebat de Deo. Respondetur so-
lum loqui de Fide objectivâ.

V. Credens
unum arti-
culum non
debet neces-
sariò esse pa-
ratus ani-
mo ad cre-
dendum
omnes.

Aliud est ju-
dicare arti-
culum ali-
quem esse
credibilem,
aliud illum
credere.

VI. Nihil in eo
est incom-
modi, ut
veniale pec-
catum hæ-
resis impe-
diat actum
Fidei circa
idem obje-
ctum.

Fateri om-
nes debent
actum ali-
quem semi-
deliberatum
hæresis impe-
dere actum
Fidei.

VII. S. Augusti-
nus loquitur
de Fide ob-
jectivâ.

